

Cœlitibusq; putent Diuis, qui munera magnis  
 Hæc diuina uiris, cœlo demissa supremo,  
 Heroum cura, meritisq; colenda dederunt,  
 Sic seruatae artes propagataeque coluntur,  
 Dum sua maiores generosæ posteritati  
 Commendare student, atq; addunt rebus honorem,  
 Hæc quasi semina publica sunt uirtutis & artis,  
 Quæ tanta imperijs dant incrementa beatis,  
 Quanta nec armatae in Mauortia prælia turmæ,  
 Nec murorum ætate breui ruitura lutosa  
 Moles, aut opibus munita potentia multis  
 Conciliare ualent, & quidquid in orbe caducas  
 Inter res habet aut precij aut uirtutis honorem,  
 Quæ nisi doctrinæ celebrentur laude, iacebunt,  
 Atq; oppressa suo sordescunt puluere. Cræsi  
 Quis modo sciret opes? Quis fortem nosset Achillem?  
 Aut quis Alexandrum magnum? Quis prælia Cyri  
 Sciret? ab Aonijs nisi prodita carmina plectris,  
 Vitam donassent factis ætate subactis.  
 Est animis igitur generosis digna uoluptas,  
 Adserere ad seros bona duratura nepotes,  
 Nec patrimonia splendidiora relinquere possunt,  
 Diuitiasq; patres meliores posteritati,  
 Quàm ueræ doctrinæ, & opes uirtutis honestæ.  
 Mentibus hinc sanis est inditus ardor, & ingens  
 Cura salutarem doctrinam spargere uitæ,  
 Virtutemq; secuturis quoq; tradere seclis,  
 Vt sobolem sanctam, uita dignamq; perenni,  
 Venturæ possent ad sidera mittere gentes,  
 Ætheriasq; domos animis implere beatis.  
 Hæc immortalis diuinitus insita menti  
 Cura, futurorum uis est præsaga bonorum  
 Æternæ uitæ, in qua cum sua præmia iustis  
 Mens restare uidet, uirtutum semina honestas  
 Artes, longæuis cupit immortalia seclis  
 Tradere. Ita assiduè sanctis pia nomina rebus,  
 Commeruisse iuuat doctrinæ conscia ueræ  
 Pectora. Sic uestri maiores, inclyta patrum  
 Lumina, tum reliquis seruandis artibus urbi,  
 Atq; orbi peperere decus populoq; futuro:  
 Tum quod in hac aliquot diuina Mathemata seclis